

fufcitari Leges illas, quas Christus D. reprobavit; sic Lex, quae jubebat oculum pro oculo, dentem pro dente dare. *Exod. 21. v. 24. Deut. 19. v. 21.* reprobata est *Matth. 5. v. 38.* similiter. Lex repudij, *Deut. 24.* abrogata est *Matth. 5. v. 32.* Etiam poterant fufcitari illa praecepta caeremonialia, quae tantum religiosa erant, ut patet ex *C. unic. de Purific. post part.* Secus verò illa, quae erant *Typica*, & Christum venturum praefigurabant: haec enim non tantum mortua, sed & mortifera sunt, & nulla Lege possunt nunc induci, ne conjugatur umbra cum Sole, & Synagoga cum Ecclesia. Observatio enim eorum praedicit Fidei veritati, secundum quam confitemur, illa mysteria jam esse completa. *D. Thom. 1. 2. q. 104. art. 3. Latè Suar. de Legib. l. 9. c. 10. Gonz. in C. 3. b. t.*

## T I T. III.

## De Rescriptis.

86 **R**escriptum, quod sic à rescribendo dicitur, est species Legis. Differunt tamen in eo, quod Lex de his, quae frequentur, non de his, quae raro accidunt, constituitur, *L. 3. ff. de Legib.* Rescriptum verò regulariter obcatus, & ad personas particulares expeditur, & dirigitur, *L. 2. C. de Legib.* habet tamen vim Legis, si à Principe generaliter servari mandetur, vel ad corpus juris reducat. *C. 19. de Sent. & re Judic.* Secus si solum ad decidendam controversiam inter partes emanet: quia tunc solum vim sententiae, & juris particularis habet, *L. 2. C. de Legib.* & sic definitur: *Est responsum Principis, vel contra, vel extra, vel secundum jus, in scriptis datum ad instantiam alicujus, vel supplicantis, vel consulentis. l. fin. C. de Legib.* Si à Principe Saeculari dimanet schedula Regia: *Hispanè Cedula Real,* & si haec in alia posteriori sit inserta. *Sobrecarta* dicitur. Et Latè acceptum comprehendit privilegium, dispensationem, & beneficium Principis, solumque à Principe supremo conceditur; *arg. C. 10. c. 11. b. t.* Differt ab Epistola Decretali, quia licet haec saepius ad consultationem, vel relationem partium, vel Judicium inferiorum expediatur, illam necessario non supponit. A vivae vocis oraculo differt; quia hoc verbo, seu viva voce datur, licet postea redigatur in scripturam.

87 Omnis alijs divisionibus minoris momenti, est celeberrima Rescriptorum divisio, in *rescripta gratia*, & *rescripta justitia*. Rescripta gratia sunt illa, in quibus à Principe aliquid liberaliter conceditur, vel praeter, vel contra jus commune; v. gr. quando conceduntur resignationes beneficiorum. Rescripta *justitia*, seu *ad lites*, sunt, quae administrationem justitiae respiciunt; v. gr. quando Judices delegantur, ut de causa cognoscant, vel quando in ipsis rescriptis jus partium declaratur: in dubio tamen rescriptum justitiae esse praesumitur, cum gratia, ut potè facti, non praesumatur, nisi probetur, *C. 2. de Schismat.*

88 Rescriptum impetrare possunt omnes, in quibus non specialiter prohibetur, *C. 3. c. 10. b. t.* illud nequeunt impetrare servus, *L. 1. C. de Precib. Imperat offer.* nisi ex causis atrocissimis, *L. 2. ff. de Hic, qui sunt sui*; falsus, aut revocatus Procurator, *C. 33. b. t.* Haereticus, *L. 2. C. de Sum. Trinit.* Excommunicatus excommunicatione majori; & rescriptum ab ipso impetratum, etiam si sit toleratus, est ipso jure nullum, *C. 1. b. t. in 6.* nisi impetretur super ipsa excommunicatione, quia hoc est necessarium ad sui defensionem. Et cum prohibito loquatur de Rescripto Pontificio, utpote odiosa, non est extendenda ad rescriptum impetratum à Principe Saeculari. Rescripta gratiae potest quis pro alio sine ejus mandato impetrare, ut contra *Abb. tenet Suar. de Leg. lib. 6. cap. 13. à n. 6. ex l. 6. c. de Precib. Imperat offer.* non verò acceptare, quia est actus personalis, *C. 17. de Praeb. in 6.* Nullus tamen potest pro alio rescriptum justitiae impetrare, ne lites potius crescant, quam diminuantur, nisi habeat speciale mandatum, *C. 28. c. 33. b. t.* Potest tamen illud pro se impetrare Procurator generalis, vel conjuncta persona, ut pater, filius, frater, affinis, vel libertus, *C. 28. §. sunt b. t. quin & alij si faveat consuetudo.*

89 Rescripta ut bene notat *Gonz. in c. 2. b. t. n. 15.* communiter habent quinque partes. Scilicet, 1. *narrationem facti.* 2. *responsum, seu concessionem.* 3. *clausulas.* 4. *datam.* 5. *signaturam.* In 1. parte preces, seu narratio ejus, quod postulatur, continetur. Narratio rescripti, prout est relationis supplicantis repetitio nihil probat, nisi quantum à supplicante probetur, *L. 5. C. de Fide instrum.* nec quatenus est nova quadam expressio relativa rerum, quas rescribens commemorat, nisi faciant aliquid ad principalem causam rescrip-

cripti: vel ita in illis fundetur rescriptum, ut alias non concederetur, *C. de Privileg. in 6.* In 1. ergo parte debent exprimi nomen supplicantis, & ultimi possessoris beneficii, si de eo agatur, *C. 17. b. t.* personam supplicantis qualitas, si Laicus, Clericus, vel regularis sit, *C. 5. de Confirm. util.* Si sit constitutus in Dignitate, *C. 8. b. t.* An habeat impedimentum Canonicum: etiam exprimenda est qualitas beneficii, an sit Dignitas, *C. 8. b. t.* An sit curatum, *C. 16. de Praeb. in 6.* An exigat residentiam, *C. fin. de Cleric. non resid.* An sit beneficium Ecclesiae Cathedralis, *C. 4. de Praeb. in 6.* An Saeculare, vel Regulare, *C. 5. de Praeb. in 6.* Si impetrans habeat beneficium, etiam tenue, *C. 42. b. t.* vel vicarium, si est perpetuum, *C. 27. b. t.* Etiam exprimi debet valor beneficii, modus, quo vacat, *C. 6. b. t. in 6.* Si alter habeat jus ad beneficium, quod vacat. Si alius est in possessione etiam colorata, *C. 6. de Consec. Praeb.* vel in detentatione, nisi sit aperte injusta: Si alius prius super illo beneficio rescriptum impetravit, *C. 31. b. t.*

90 Impetrans ergo rescriptum debet exprimere omne illud, quod si sciret Princeps, vel negaret, vel difficilem redderet eius concessionem. Hinc in rescriptis justitiae, vel ad lites debet fieri mentio conditionis personae, vel privilegij, quando dat formam rescripto impetrando: item transactionis, jam à partibus imita, *L. 16. C. de Transact.* lites pendentes, si in litis praedictum cedat, *C. 1. & fin. ut lite pendet.* Sententiae jam latae seu appellationis interpositae, *C. 12. b. t. c. 3. de Confirm. util.* nec debet reum trahere ad iudicium ultra unam dietam extra suam Diocesim, *C. 11. §. 1. b. t. in 6.* Dieta Legalis constat 20. miliaribus Legalibus, *L. 3. ff. de Verb. signif.* Milliare Legale seu Italicum constat mille passibus, in nostra Hispania Dieta decem leucis constat *L. 18. tit. 7. lib. 1. R. Cass.* nec post rescriptum gratiae ab aliquo impetratum potest de novo aliud impetrari ab alio, nisi facta mentione prioris in sua petitione, *C. 31. b. t.* Et interea in secundo derogatione regularis. Cancellariae de non tollendo jus alteri, quomodo libet per priorem concessionem quaesitum.

91 Hodie preces coram Rescribendis signaturae, seu gratiae, seu justitiae juxta negotij qualitatem, proponuntur. Hi offerunt R. Pontifici libellos supplices, quod si continent gratiam, respondet Papa: *placet, aut fiat, & statim sit gratias, arg.*

*c. 4. 17. q. 1.* si postulant justitiam, respondet: *Audiat N. Episcopus, & faciat justitiam.* Et haec est 2. pars rescriptorum. In 3. ponuntur clausulae, quarum aliqua, & si non apponantur, insunt, ut si *ita est, Cap. 12. b. t. Si preces veritate nuntur, C. 2. b. t. l. 37. tit. 18. p. 3.* ut rescriptis tam gratiae, quam justitiae, vel ponitur, vel subintelligitur haec clausula: *Salvo jure alterius*, quod si rescriptum in damnum tertij cedat in re gravi est ipso jure nullum, hac non expressa. Etiam apponitur haec clausula: *Si dignus sit*, hoc est, si is, cui datur beneficium non habeat impedimentum Canonicum. Et hoc rescriptum dicitur *in forma dignum.* Et tunc non fit provilio, sed debet fieri à delegato, si provilius dignus sit. Et haec clausula etiam rescriptis inest. Quando fit in *forma gratiosa* solum datur mandatum ad executores deputatos, ut provilius in possessionem inducant. Etiam solet apponi haec clausula: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis, sub quacumque forma concessis*, per quam privilegia omnia derogantur, nisi in corpore juris sint inclusa, vel habeant clausulam, ut non derogentur, nisi fiat eorum mentio, vel per modum contractus concessa sint, in meritorum compensationem. Clausula: *Quod si non omnes interesse possint, duo, alterve eorum nihilominus exequatur*: comprehendit impotentiam facti, & juris, quae verificata in uno, alter potest procedere, & terminare causam, *C. 13. b. t.* Etiam solet apponi haec clausula: *Appellatione remota*, *C. 1. b. t. l. 13. tit. 23. p. 2.* Et in uno articulo appollata extenditur ad omnes articulos connexos, *C. 41. de appell.* & per ipsam saltem de Jure Canonico solum tollitur regulariter appellatio iurisdictionis, & non legitima de sententia, *C. 46. de Appellation.* Haec sunt clausulae usitatas frequentiores, quae solent in rescriptis apponi, imò & aliquae insunt ipsis rescriptis, licet non apponantur; pro quantum latiori explicatio- ne vide *Barbos. de Clausul.*

92 4. Pars continet, *Datam* in qua exprimitur annus Incarnationis, & Pontificatus, & dies Expeditionis; non per cifras, & notas numerorum, sed per integras voces, *C. 7. b. t. c. 6. de Vid. instrum. l. 4. c. de Diversis rescript.* 5. pars continet *signaturam* ubi R. Pontifex signat, & sub- scribit nomen suum. Rescripta gratiae bullantur cum filo serico rubro, & croceo, rescripta justitiae cum filo cannabis, in quo plumbum pendet, *C. 5. c. 6. de Crimin. fals. arg. l. 6. c. de Divers. rescript.* Debet pra-

præterea rescriptum esse juxta stylum Curie in bulla filio, Charta, & alijs, C. 6. de *Crim. fals.* in Pontificijs rescriptis præponitur nomen Papæ; v. gr. *Clemens XII.* in Regijs vero solum nomen Dignitatis: sic: *El Rey.* Et post diem, & annum subscribit, sic: *Yo el Rey.* Et apponit rubricam; non vero sigillum. Et Regiæ Camere Consiliarij Rubricas solum, non vero nomina apponunt. Et Regius Tabellio, seu Secretarius subscribit, & apponit rubricam, hoc modo: *Por mandado del Rey nuestro Señor.* D. Juan Ventura Maturana. L. 23. tit. 1. lib. 2. R. Ind. l. 5. tit. 4. l. 23. tit. 6. lib. 2. R. Ind. Si via extraordinaria, vel reservata rescriptum expeditur solum subscribit Rex, & ejus Secretarius, vel Supremus Minister; nec Rubricæ Senatorum apponuntur, taliaque rescripta debent adimpleri. Provisiones Regiæ subscribuntur à Senatoribus, alias licet obediatur, non mandantur executioni, L. 23. tit. 1. lib. 2. R. Ind.

93. Si dirigatur ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos confirmatos rescriptum Pontificium illos vocat. *Venerabiles fratres*, cæteros omnes fideles, etiam Reges, *filios* appellat. Si ad unum dirigitur, utitur nomine singulari, non plurali, C. 6. de *Crimin. fals.* Et licet barbarissimus, vel solecissimus dubius possit dissimulari in talibus rescriptis, minime vero, quando solecissimus est crassus, nam talis vitiat rescriptum, C. 11. b. t. debet etiam esse purum à cancellatione, delectione, & rasura in parte suspecta, vel substantiali, scilicet, in nominibus, dispensatione, &c. C. 6. de *Fide instrum. c. 5. de Crim. fals.* Si contra jus commune concedatur, debet addi clausula illius derogatoria; *arg. c. 5. 25. q. 2.* ne credatur supposititium: quia non præsumitur, Principem jus tot vigilijs inventum uno rescripto tollere velle.

94. Si tertij jus lædatur, de eo debet mentionem facere rescriptum, quia non præsumitur, Principem, suo rescripto velle juri alterius præjudicare, C. 15. de *Offic. deleg.* quod præcipue in nostra Hispania debet observari; *arg. l. 4. l. 7. tit. 14. lib. 4. R. C. l. 19. tit. 1. lib. 2. R. Ind.* Nec debet delegari Judex incertus ad arbitrium impetrantis eligendus: quia impetrans potest eligere Judicem, qui sibi faveret, ac proinde adversario esset suspectus; nisi addita clausula ex *certa scientia*, c. 10. b. t. Nec uni, nec pluribus Judicibus debent committi omnia negotia, tam præsentia, quam futura, quia magnum

præjudicium potestati ordinarij inferretur, quod non præsumitur, Papam velle facere, C. 10. b. t. at verò Judicibus conservatoribus Religionum committitur omnino defensio alicujus Ordinis.

95. Aliquando rescriptum *motu proprio* conceditur, quando scilicet ex mera liberalitate Principis procedit, ex qua movetur: non vero ex instantia partis quamvis hæc præcesserit; & in rescripto additur hæc clausula: *motu proprio*, quod si non exprimitur, præsumitur, rescriptum ad instantiam, seu preces partis concessum esse, C. 23. de *Præb. in 6.* Et quamvis hæc clausula non tollat vitium obreptionis ortum ex falsi narratione, quia concedens aliquid ex errore, seu fallitate causæ, non consentit, L. 15. *ff. de Jurisd. tollit* tamen subreptionem commissam per recitentiam veri, nisi forte taceatur inhabilitas personæ, vel qualitas intrinseca beneficij, vel jus tertij præjudicetur, vel quid simile, *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 21. ex num. 47. Barbosa. de Claus. claus. 79. ex num. 16.*

96. Rescriptum vitiosum redditur ex eo, quod obreptionem, vel subreptionem sit. Obreptionem proprie est, quando continet expressionem alicujus falsitatis circa causam motivam, vel aliud substantiale requisitum. Subreptionem dicitur, quando in eo supprimitur veritas de jure, vel consuetudine, aut stylo Curie necessario exprimenda, secundum supradicta. Solent tamen hi termini sæpe in jure, & à juris interpretibus confundi, qui propterea aliquando ipsis promiscue utuntur.

97. Omne rescriptum, sive gratiæ, sive justitiæ, in quo per malitiam, & dolum est allegata falsitas, vel suppressa veritas, que pertinet ad substantiam rei petite, est nullum ipso jure: & quidem de rescripto Gratia, id facile concedunt DD. sed idem dicendum est de rescripto justitiæ, ut tenet cum pluribus *Gonz. in C. 20. b. t. n. 8.* contra *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 21. n. 76. & alios.* Et quidem est nullum, quoad omnes partes illius, ut utrumque constar ex generalitate, *Text. in C. 20. b. t. Juncha com. DD. intelligentia* in percelebri dicto *Text. in C. Super litteris, 20. b. t. ibi: Quæ per fraudem, vel malitiam falsitatem expriment, vel supprimunt veritatem in suis perverstitatis penam, nullum ex illis litteris commodum consequantur*, C. 15. b. t. ibi: *Quia fraus, & dolus ei patrocinari non debent, tanquam mendax preator careat penitus impetratis*, L. 1. *ff. de Nat. lib. restituend. L. fin. C. de Divers. rescript. L. 36. tit.*

tit. 18. p. 3. ibi: *Et decimos, que si Carta fuere ganada diciendo mentira, & encubriendo la verdad, que non deber valer*, L. 22. tit. 1. lib. 2. R. Ind. ut latè explicant Doctores. Quod quidem locum habet, etiam si expressio falsi, vel suppressio veri non fuissent causa finalis, sed tantum impulsiva talis rescripti, ut contra *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 21. n. 74.* tenet cum com. DD. *Gutierrez. QQ. Canon. l. 2. cap. 15. n. 134.* Nam in poenam malitiæ impetrantis rescriptum hoc vitatur omnino, ne ex suo delicto commodum referat. Si verò rescriptum diversos articulos contineat, si sint independentes, & inconnexi, vitium in uno non vitiat quoad alium inconnexum, *L. fin. C. de Transact. c. 9. b. t. in 6. Nam utile per inutile non vitiatur*, C. 37. de *Reg. jur. in 6.* Ita *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 21. ex n. 69. Gonz. in c. 20. b. t. num. 6. Covar. l. 1. Var. cap. 20. n. 7.* contra *alios.*

98. Quando sine dolo, sed solum ex ignorantia, vel simplicitate supprimitur veritas, vel allegatur falsitas, si talis sit, ut ea cognita, Princeps non erat concessurus rescriptum, hoc vitatur, sive gratiæ, sive justitiæ sit, C. 19. c. 20. b. t. si quidem in omni rescripto subintelligitur hæc clausula; *si preces veritate nitantur*, C. 2. b. t. ac proinde veritate deficiente irritum est rescriptum; quia deest intentio, & voluntas concedendi, à qua suas vires sumit rescriptum: quia nihil tam contrarium est consensui, quam error, *L. 15. ff. de Jurisd.* Quando verò Princeps concessurus erat rescriptum, saltem in forma communi, quamvis non eo modo speciali, quo illud concessit, si rescriptum, in quo non dolose fuit expressa falsitas, vel suppressa veritas, sit justitiæ, non vitatur, sed valet in forma communi, quia narratio non dolosa solum quatenus est causa concessionis reddit vitiosum rescriptum: cum ergo solum fuisset causa formæ accidentalis, scilicet talis modi procedendi, non verò formæ substantialis, scilicet rescripti; tantum quoad modum vitabit, & Judex poterit in forma communi procedere: nam tunc solum litteræ sine dolo impetratæ declarantur irritæ, quando Papa, cognita veritate, nullas proliis litteras dedidit. C. 20. b. t. si verò rescriptum sit gratiæ, omnino vitatur, ut tenet cum alijs *Covar.*

99. Hinc à fortiori sunt irrita rescripta gratiæ obtenta, etiam sine dolo per recitentiam veritatis, qualitatibus, vel circumstantiis intrinsicè ad rem pertinentes, que se habent ut causa finalis rescripti, quia

cognita non esse concedendum; quia tunc deest Principis voluntas, à qua pendet rescriptum, C. 23. de *Irab. in 6.* valet tamen, si veritas suppressa extrinsece se habeat ad gratiam concedendam; imò est veritatis suppresio sit valde substantialis, si tamen ea cognita Princeps esset gratiam concessurus, adhuc valet rescriptum. Si dubium sit, an causa sit impulsiva, vel finalis, vel in Princeps esset concessurus, vel non; valet rescriptum. Nam in dubio potius pro valore actus, quam contra illum est facienda interpretatio, L. 12. *ff. de Rebus dubijs. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 21. n. 20. cum alijs* contra *Molin. de Just. tr. 2. D. 173. & alios.*

100. Rescripta gratiæ obtenta per falsi allegationem, etiam sine dolo, dum illa allegatio falsi causæ finalis sit illius concessionis, sunt irrita ipso jure, C. 31. b. t. quia deest recipientis voluntas. Rescripta verò justitiæ sic obtenta, tantum opposita exceptione irritantur, C. 9. c. 23. b. t. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 21. n. 3.* ratio discriminis est: quia rescripta gratiæ quasi definitum negotium; rescripta verò justitiæ solum preparant negotium, quod tandem examinandum est à Judice, & secundum merita causæ per sententiam terminabit tribuendo jus cui debetur. Si causa allegata sit tantum impulsiva, vel nihil conducatur ad petitionem in rescripto contentam, vel discoliorem eam reddat, quam redderet causa vera, non vitabit rescriptum: quæ omnia ex usu communi, & Judicio prudentum definienda sunt; *arg. C. 4. §. 1. de Offic. deleg. v. g.* si per errorem vocetur in rescripto Joannes, cum sit Petrus, illud impetrans, vel dicatur natio Gallus, cum sit Hispanus, vel alias, eodem modo concederetur, valet rescriptum, L. 33. *ff. de Condition. & demonstr. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 21. n. 35.*

101. Commodò rescripti privantur, qui litteris Apostolicis abutuntur, & condemnantur ad expensas; v. g. qui dant suas litteras alteri ejusdem nominis; qui vocant in Judicium eos, contra quos nihil habent; qui litteras trahunt ad futuras controversias; qui aliquem super uno negotio, vel super pluribus actionibus personalibus, quæ commodè possunt ab uno tractari, vocant ad diversos Judices; vel qui citat reum ad loca diversâ, vel ad villam indeterminatè, C. *fin. b. t. c. 3. eod. in 6.* Præterea in Rescriptis eorum forma adeo est diligenter observanda, ut quicquid contra, vel præter, vel extra eorum tenorem fiat, declaratur nullum om-

omniò, *C. 22. b. t. l. 5. ff. Mandat.* quia pro illo casu nulla datur facultas à concedente rescriptum. Nam actus agentium non debent extendi ultra agentium voluntatem, *L. 19. ff. de Rebus credit.* Hinc, si à concedente præfiguratur terminus ad illud præstantandum, intra illum necessariò præstantandum erit; aliàs nullius roboris erit; *arg. C. 4. de Offic. delegat.* si nullus terminus præfiguratur, rescripta gratia, utpote perpetua, quocumque tempore, etiam post concedentis mortem possunt præstari, *C. 9. de Offic. delegat. in 6. C. 36. de Prab. in 6.* Rescripta iustitiæ, seu ad lites durat, quamdiu durat jus agendi, & excipiendi super quo impetratum est, *L. 2. C. de Divers. veser.* Si rescribens præcipiat de pluribus alternativè, vel disjunctivè inquirere, sufficit, unum ex illis esse verum, ut exequi possit rescriptum, cum ad veritatem propositionis disjunctiva, alterum verificari sufficiat, ut constat ex *C. 4. b. t. Et sæpe Summularum* proclamant.

102 Rescripta iustitiæ, & ad lites sunt strictè interpretanda, utpote odiosa, *C. 15. de Reg. jur. in 6.* quia derogant juri Ordinarij, & foveant lites, quas jus tollere desiderat, *C. 5. de Dol. & contum.* & non debent extendi ad causas, & personas ibidem non expressas, *C. 32. c. 40. de Offic. deleg.* quando verò hæc clausula: *quidam alij, & res aliæ*: apponitur in rescripto, solum persone, & res pares, vel minores expressis includuntur; minimè tamen effrazata multitudo, nec persona, nec res majores, *C. 15. b. t.* solum enim per illam clausulam: *quidam alij*, possunt tres, vel quatuor persone trahi ad iudicium, *C. 2. b. t. in 6.* nec ad causas post datam rescripti ius extenditur. Nec rescriptum pro conferendo alicui beneficio vocatur extenditur ad beneficium creatum post rescripti datam, hoc est, post tempus, quo Romæ fuit expeditum, *Cl. fin. b. t.* Ita ergo interpretanda sunt rescripta, ut juri communi concordent, etiam ad hoc aliquantulum improprientur verba, *C. 18. b. t.* si contra jus sit, & nullam illius mentionem faciant, sunt nulla, *L. fin. C. Si contra jus*, & sic debent sumi, ut quam minus corrigant jus, vel juri tertij præjudicent, *L. 2. §. 10. ff. Ne quid in loc. publ.* Hinc per rescriptum impetratum contra homines Diocesis, non possunt homines Civitatis conveniri, *C. 35. b. t. arg. C. 4. de Prabend. in 6.* Et si conveniendus per rescriptum, reintegra moriatur, non potest successor conveniri, *C. 36. b. t.*

103 In facultate generali dispensandi, quæ nemini, nisi concedenti præjudicet, saltem immediatè: vel alia quacumque gratia, quæ sit merum Principis beneficium, sine correctione juris, nec præjudicio tertij, plenissima est interpretatio facienda, *C. 4. de Prabend. in 6.* intra proprietatem verborum; nisi facultas dispensandi esset ad unum casum singularem, quia tunc esset moralitè dispensatio Superioris, solum executione delegata, & ideo esset strictè interpretanda, sicut quælibet alia dispensatio, *L. 141. ff. de Reg. jur. C. 28. eod. in 6.* quia est relaxatio juris communis: nisi dispensatio consideretur id gratiam utilitatis publicæ, vel ex motu proprio, vel esset clausa in corpore juris, vel si statutum, vel consuetudinem juri communi contrariam ad jus commune reducat; ut in *c. 27. de Decim.* vel si redderetur inutilis dispensatio, si non extenditur ad alia, ut connexa, accessoria, vel alia hujusmodi, *C. 17. de Sent. excom. in 6.* nam in his casibus, dispensatio latè interpretatur.

104 Litteræ super obtinendis beneficijs debent restringi, cum sint ambitiosæ, *C. 4. de Prab. in 6.* hoc est ambitionem sapiunt, nisi motu proprio, vel in dantes compensationem conceleum sit beneficium. Si in rescripto provideatur de beneficio vacaturo per resignationem, illud possidentis, non comprehendit casum, quo per mortem ipsius vacet beneficium, vel è contra, cum sint diversi modi vacandi, *C. 6. b. t. in 6.* Si Papa mandet alicui provideri de beneficio in aliqua Ecclesiâ Civitatis, vel Diocesis, non extenditur ad Ecclesiam Cathedralè, quæ propter ipsius honorem sub hæc generalitate in hoc casu non comprehenditur. Si verò mandet in aliqua Ecclesiâ Provincie provideri, tunc, & Metropolitana, & cæteræ Cathedralis Ecclesiæ includuntur, cum uberiorè gratiam in hoc, quam in precedenti casu Pontifex facere videatur, *C. 4. de Prabend. in 6.*

105 Circa personas, quibus rescripta dirigi, & committi possunt decernitur, in *c. 11. b. tit. in 6.* ibi: *Ut nullis, nisi Dignitate prædictis aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonice cause auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem de cætero committantur, nec audiatur alibi, quam in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit commodè copia peritorum haberi.* Et quidem sufficit, quælibet Dignitas cum jurisdictione, licet non sit perpetua, qualem habent Offi-

cia-

ciales; vel Vicarij Generales Episcoporum, vel Capitulorum, Sedevacante, & Superiores Conventuales Regularium; secus dicendum est de Vicario foraneo, & de Priori Clausurali, *Cl. 2. b. t.* Si Clerico simpliciter alicujus rescripti executio delegatur, debet addi *ex certa scientia*: aliàs subreptitium censetur rescriptum. Episcopus verò cuilibet Clerico potest commissionem suam dare. Si executio non detur non persone, sed Dignitatis intuitu, v. g. si mandetur Episcopo, Præposito, vel Vicario Generali Episcopi, transit ad Successores in Dignitate, *C. 14. de Offic. deleg.* & ideo rescriptum, quod dirigitur ad Episcopum transit ad Capitulum, & è contra; *arg. c. 1. de Institut. in 6.* si dirigitur ad Vicarium Generalem Episcopi, non potest Episcopus se intromittere in talem commissionem, sicut nequit Vicarius se intromittere in delegatam Episcopo, quia licet illorum sit idem Tribunal, quoad jurisdictionem ordinariam, est tamen distinctum quoad delegatam: quia Officium, & Dignitas, est qualitas, cui alligatur talis commissio, & est conditio, sine qua non fieret delegatio. Rescripta verò, quæ non requirunt causæ cognitionem judicalem, possunt alijs committi, ut dispensationes S. Penitentiarie; quæ committuntur confessorio: sufficit enim, quod electus ab impetrante, seu Oratore sit approbatus ab Episcopo, & sit Doctor, in Theologia, vel in Jure Canonico, vel habeat ad hoc privilegium, quod habent nostræ Societatis Confessarij per Constitutionem Greg. XIII. Exponi. An. 1582. *in omnibus Ordinibus omnibusque*

106 Juxta in rescripto delegatus non potest illud exequi, antequam ipsi præsententur, cum jurisdictione non nisi scienti, & acceptanti adquiratur: & ex tunc incipit currere tempus ad ejus executionem, *C. 12. de Appellat.* Et sanè si delegatus ante mortem delegantis citationem fecit, perpetuatur ejus jurisdictione, *C. 20. de Offic. deleg.* si tamen delegans moriatur re adhuc integra jurisdictione delegati expirat, *C. 30. de Offic. deleg.* Rescripta ad beneficia Ecclesiastica debent exequi intra triginta dies numerandos à die præsentationis; quod si non obstat legitimum impedimentum, nec contradictio Oratoris sunt mittendi in possessionem ex Bull. S. Pij V. si ulterius Judices differant, possunt impetrantes ad delegantem, scilicet Papam appellare, *C. 27. de Offic. delegat.* Rescriptum verò ad lites (nisi tempus in ipso assignetur, quod quidem debet ser-

Tom. I.

vari, nisi à partibus de consensu communiti prorogatur, *C. 4. de Offic. deleg.*) est perpetuum ex Jure Canonico, *C. 20. de Judic. abrogata, L. 13. §. 1. C. eod.* ubi de Jure Civili triennium præscribitur instantiæ judicij. Et quamvis in *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 20.* Jubeatur, quod causæ in prima instantia finiatur in Judio Ecclesiastico, saltem infrabiennium à die litis motæ, hoc minimè servatur, imò causæ Ecclesiasticæ ut immortales, & æternæ à varijs Juribus increpantur; sed non jure, vel injuria non est necum decidere. Ipsi videant: & defectum, vel omissionem, si qua est, corrigant.

107 Si super una causâ plura rescripta concurrant, speciale, sive prius, sive posterius sit, derogat generali, etiam si illius mentionem non faciat, *C. 1. c. 14. c. 40. b. t.* quia generi per speciem derogatur, *C. 34. de Reg. jur. in 6.* nisi per rescriptum sit jam adquisitionem jus alicui: tunc enim debet illius fieri mentio; *arg. C. 19. b. t.* Si utrumque rescriptum sit speciale, si secundum faciat mentionem prioris, prævalet secundum. Si non faciat, prævalet prius; & secundum, si sit gratia est ipso jure nullum, si sit iustitiæ ope exceptionis repellitur. Si utrumque sit generale, sed unum aliquomodo sit magis speciale, illud prævalet: si hæc specialitate utrumque caret, prævalet prius. Quando ambigitur de revocatione litterarum, quæ ad diversos Judices sunt missæ, si posteriores prioribus, vel è converso nolint deferre, simul utrique cognoscant: & si forte nequiverint, simul in una sententia concordare, quamvis plures sint ex una parte, quam ex altera, per arbitros communitè electos à partibus hujusmodi concertatio sospiri debet, *C. 14. b. t.* si ad beneficium, vel negotium, duo, vel plura rescripta non contraria, sed convenientia ab eodem impetrentur, tanquam varia exemplaria ejusdem rescripti ad majorem cautelam obtemperata considerantur, ac proinde omnia valent.

108 Si aliquis rescriptum iustitiæ, vel ad lites impetravit, & ob dolum, vel negligentiam, eo non fuit usus, nec illud intra annum præsentavit, si ejus adversarius secundum rescriptum impetret valet, etiam si primi mentionem non faciat, in poenam impetrantis primum, *C. 9. c. 23. b. t.* si verò non potuit Judicis copiam habere, non valet secundum rescriptum, cum jam non per ipsum stereret eo non uti. Quando duo ad idem beneficium

E

cium

cium diversa rescripta impetrantur, qui prius impetravit præferatur secundo impetranti, etiam hic secundus prius rescriptum præsentasset, & in Canonicum, v. gr. prius esset receptus, dum tamen dolus, vel notabilis negligentia primo non possit imputari, C. 12. b. t. in 6. Is, cujus gratia, ut provideretur de beneficio proxime vacaturo rescriptum fuit expeditum, & postea revocatum, & tandem restitutum, non debet præferri ei, cui post revocationem, & ante restitutionem prædictas similis in eodem Ecclesia gratia facta fuit, nisi hoc exprimat à Papa, cum talis restitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligitur fieri sine juris alieni præiudicio, C. 8. b. t. in 6. Si à Sede Apostolica, vel à Legato ipsius uni, & ab Ordinario alteri eodem die, idem beneficium conferatur, nec appareat, quæ collatio fuerit primo facta, erit potior conditio possidentis: si verò neuter possideat, is, cui Sedes ipsa contulerit, vel Legatus propter conferentis ampliolem prærogativam, erit alteri præferendus, C. 31. de Præb. in 6. Si eodem die duplex rescriptum dimanet à Papa à duobus impetrantibus obtentum, & non appareat, quis primò impetravit, is, cui Papa Canonicatum contulit, est in præbenda præferendus, etiam si alter prius præsentasset litteras, & in Canonicum fuisset receptus: Si neutri eorum, vel utrique Canonicatum contulit Papa, cum in gratia sint æquales, qui prius præsentavit rescriptum, præferatur in præbenda: Si ambo simul in præsentatione concurrant, possint Canonici unum tantum eorum, quem maluerint, altero excluso, eligere: nisi ex tenore litterarum appareat expressè, quod utrique voluit Pontifex præbendam conferri, C. 14. b. t. in 6.

109 Gratia alicui concessa, ut providere possit personis idoneis in certa Ecclesia, personis non expressis, non expirat per obitum concedentis, quamvis res adhuc sit integra, quia hæc gratia specialis decet, esse mensuram, secus si personæ sint expressæ, C. 36. de Præb. in 6. quia mandatum, re adhuc integra, morte mandantis finitur, L. 15. C. Mandat. Si Princeps concedat aliquid, hæc adjecta clausula: *Usque ad meum beneplacitum*. Expirat concessio per Principis mortem naturalem, per quam ipse beneplacitum omnino extinguatur: secus autem, si usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur præiudicium; tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi à Successore

fuerit revocata, C. 5. b. t. in 6. Idem est, si concedatur tantum, quamdiu non revocaverit, vel aliter judicaverit concedens: quia tunc solum expirat per expressam, & positivam revocationem.

110 Denique in rescriptorum executione, vel in eorum interpretatione faciendi debet ante omnia exquiri rescribentis voluntas: si hæc sit dubia, attendi debent proprietates verborum, communis usus, & consuetudo: & præcipue, quod non lædatur jus tertij, nec corrigatur jus commune: pro quo audiamus famigeratam decisionem Alex. III. rescribentis Ravenati Archiep. in C. 5. b. t. ibi: *Si quando aliqua tua fraternitati dirigitur, que animum tuum exasperare videtur, turbare non debes. Qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter consideras, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam præstendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum*. Et en firmissimum fulcrum, in quo fundatur praxis nostræ Hispaniæ præsentandi, & retinendi litteras Apostolicas in Supremo Senatu Castellæ, quousque sum. Pontifex consulari, ita ut talis retentio non fiat animo non obediendi, sed tantum supplicandi, & proponendi R. Pontifici inconvenientia, vel scandala, quæ ex literarum executione timeri possunt, L. 25. tit. 3. lib. 1. R. Cast. in his Indiarum Provinciis nulla Bulla, vel Breve Apostolicum, etiam pro indulgentijs lucrandis concessum, potest publicari, nisi prius sit in Supremo Indiarum Consilio præsentatum, ut ibidem examinetur, an opponatur Regio patronatui, vel alijs nostrorum Regum privilegijs: quod si forte aliqua Bulla sine hac circumstantia in his Regnis inveniatur, debet à Regijs Cancellarijs, & à Prælati Ecclesiasticis ad Regium Consilium remitti, L. 2. tit. 9. lib. 1. R. Ind. l. 55. tit. 7. lib. 1. R. Ind. quod corroboratur, Ex C. 3. D. 19. c. 2. h. t. C. 5. de in Integ. restit. C. fin. b. t. in 6. L. fin. C. Si contra jus, L. 17. tit. 23. p. 3. L. 1. l. 2. tit. 14. lib. 4. R. Cast. cum pluribus alijs Textibus, & DD. cum Gonz. in C. 5. b. t. ex n. 3.

111 In nostra Hispania specialiter est statutum, quod schedulæ Regiæ contra jus, vel forma usitatum, vel in præiudicium tertij concessæ obediatur, sed non mandentur executioni, quamvis habeant clausulas derogatorias, vel abrogatorias, generales, vel speciales, quibuscumque vinculis roboratas, etiam nisi motu proprio

ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis concedantur, L. 1. l. 2. tit. 14. lib. 4. R. Cast. & ibid. D. Alfons. de Azeved. Sed ut principis litteris debitus exhibeatur honor, prius osculantur, supra caput imponuntur, & obedientia præstatur, in eorum tamen executione superëdetur, quousque Princeps consulatur. Sapè enim solent huiusmodi rescripta ob importunitatem impetrantium, magis, quam ex propria Principis voluntate expediri: & quia ob finitram, & fallam informationem, vel ob nimias occupationes Principis, non potest facile adverti si ex eis aliquod præiudicium, vel inconyeniens contra Christianam, Spirituales, & Politicæ Republicæ quietem, & tranquillitatem, rectamque gubernationem sequi, vel timeri possit: ideo oportet, quod non temerè, & sine examine executioni mandentur, quin hoc in Apostolicæ, vel Regiæ Majestatis irreverentiam cedat: quia potius ex eorum, quam contra illorum voluntatem fit; nec obedientiam, vel honorem negat, qui ipsam Principem consulit, & rogat, sicut quidam dixit Poeta:

*Qui fingit sacros auro, vel marmore cultus,  
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.*  
Pro cuius praxis justificatione videantur Illustrissimus D. D. Covar. Præf. QQ. cap. 35. n. 4. Solorz. de Fur. Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 25. ex n. 42. plures citans, & in Polit. Ind. lib. 4. cap. 25. Salgad. de Supplicat. ad SS. p. 1. cap. 3. n. 13. Salcedo de Leg. Polit. l. 2. cap. 3. n. 25. Molin. de Just. & iure, tr. 2. D. 3. n. 4. & 5. Victor. Soto, Villalob. D. Petrus Frasso de Reg. Patrum. Indiar. c. 7. n. 15. ubi plurimos citat.

## TIT. IV.

## De Consuetudine.

112 **C**onsuetus nosstrum (ait Justin. in §. 3. Inst. de Jur. natur.) quo utimur, aut scripto, aut sine scripto, & §. 9. Sine scripto jus venit: quod usus approbavit: nam diuturni mores consensu utentium comprobati Legem imitantur. Et hæc est consuetudinis definitio, quam approbant, L. 32. l. 33. l. 35. ff. de Legib. C. 5. D. 1. ibi: *Vocatur consuetudo, quia in communi est usu, L. 4. tit. 2. p. 1. ibi: Costumbre es derecho, ó fuero, que non es escrito, el qual han usado los homes luengo tiempo, ayudandose de él en las cosas, è las razones sobre que lo usan.*

113 Consuetudo, omittis alijs divisionibus, alia est secundum jus, quæ proprius dicitur observantia, & est optima Legum interpretres, C. 8. b. t. L. 37. ff. de Leg. Hac consuetudine interpretare Lex, Quadragesimalis jejuniij non violatur potu, nec modicissima sumptio cibi, cum his violatur jejuniium, quod ad summationem Ecclesiasticæ præerquiritur. Et secundum hanc regulandi sunt contractus, L. 34. ff. de Reg. jur. Judicia, & eorum causæ, L. 6. tit. 2. p. 1. & alij actus imò, & jus Divinum, quatenus indicat mentem Legislatoris, & ita fit in varijs traditionibus Ecclesiæ circa usum Sacramentorum, & alia. Sed ut consuetudo possit Legem Divinam interpretari requiritur, quod sit universalis Ecclesiæ traditio, vel à Pontifice approbata, Suar. de Leg. lib. 7. cap. 17. n. fin. si consuetudo secundum jus sit authentica, habet vim Legis, debetque esse deccennio præscripta, & de hac dicitur in C. 3. D. 4. Leges instituntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur. Hinc merito Alex. VII. hanc propositionem, quæ est 32. damnavit: *Non est evidens, quod consuetudo non ceteri dendi ova, & laicima in Quadragesima obliget.*

114 Alia est præter jus; per quam, sicut inducit jus, & obligatio ad id, de quo nulla habetur Lex. Et sic in C. 5. D. 1. dicitur: *Consuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit Lex. L. 32. ff. de Leg. Alia denique est contra jus, & est illa, qua tollitur, vel abrogatur jus antecessens, C. fin. b. t. L. 32. ff. de Leg. l. 6. tit. 2. p. 1. D. Tb. 1. 2. q. 97. art. 3. Et habet vim Legis, etsi nihil de novo præcipiat, sed sufficit, si ab antiqua obligatione liberet, & deobliget: Nam tunc præcipit permissionem, seu prohibet, ne quis ad observationem Legis cogatur, & ne puniatur, si non observet, Sua. de Leg. lib. 7. cap. 10. n. 2.*

115 Consuetudo differt à Legge: quia hæc est scripta, secus consuetudo, saltem in sua introductione, C. 5. D. 1. licet postea in scripturam redigatur, arg. C. 2. de Præb. in 6. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 2. Et sic in nostra Hispania fuit, Hispano fueros, licet in scripturam sint redacta, non habent vim, nisi in quantum eorum usus viget, & vigere poterit, Greg. Lop. in l. 7. tit. 2. p. 1. Rodrig. Suar. in Proem. fori ex n. 1. Lex pendet à voluntate Principis expressa, & unico actu vim accipit: secus consuetudo: à stylo Curia differt consuetudo, tanquam genus ab specie, nam stylus est quadam species consuetudinis, quæ solum in actibus judicialibus habet lo-

cum, & ibi debet observari cum modum iudicialiter procedendi præscribar. Si vero stylus sumatur pro certo modo scribendi, loquendi, respondendi, &c. non est proprie consuetudo, quia non inducit Legem: sed est potius quadam hominum politica observantia, vel potest dici consuetudo facti, *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 5. ex n. 3. Christoph. de Paz in Rubr. ad Leges Styli*; à traditionibus differt consuetudo, quia hæ ab institutione Christi, Apostolorum, vel Ecclesiæ, non præcise ab usu, ut consuetudo, originem habent, licet usu, tanquam promulgatione conserventur, & ad nos sint propagata, *C. 5. c. 8. D. 11.* atque ita traditio potest esse scripta, & non scripta, ut *Apost. 2. ad Thesal. 2. v. 14.* ait: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermone, sive per epistolam nostram*, id est, sive verbo tantum, sive scripto, ut ait *Suar. de Leg. lib. 7. cap. 4. n. 10.* Denique à prescriptione differt in eo, quod hæ bonam fidem requirit, respicitque personas privatas, & etiam si à communitate contra communitatem præscribatur, communitas se habet, ut persona particularis: nec indiget consensu ejus contra quem præscribitur: nec jus Legale inducit, sed tantum dat jus domini, vel similibus juris; secus consuetudo, quæ non requirit bonam fidem, imò à principio malam fidem requirit, siquidem est necessarius consensus Populi, & animus abrogandi Legem, qui sine noticia Legis contraria, si quæ præcessit, haberi non potest; *arg. L. 15. ff. de Jurisdic. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 18. n. 8.* contra alios. Nec respicit personas privatas, sed communitatem, quam obligat, vel aliquid permittendo deobligat: jure Legale inducit, & consensu Legislatoris indiget. *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 1. n. 11. & 12.*

116 Republica non recognoscens superiorem potest consuetudinem, quæ vim Legis habeat, etiam contra Legem, introducere, *L. 32. ff. de Leg. ibi: Nam cum ipse Leges, nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio Populi receptæ sunt, merito, & eas, quæ sine ullo scripto Populus probavit, tenent omnes: nam quid interest, suffragio Populus voluntatem suam delaret, an rebus ipsis, & factis? D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3.* Nam sicut ratio, & voluntas hominis manifestatur verbo, ita etiam manifestatur facto, hoc enim unumquodque eligere videtur ut bonum, quod opere implet: Imò & Populus superiorem recognoscens potest introducere consuetudinem: quia Populus ex se habebat po-

testatem Legislativam, quam in Principem transtulit, & hoc sufficit, ut accedente Principis consensu, possit inducere consuetudinem, vim Legis habentem, *L. 5. tit. 2. p. 1. D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 3. ibi: Consuetudo obtinet vim Legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini Legem ponere.* Sic tota Ecclesia, vel Provincia, vel Episcopatus potest inducere consuetudinem Ecclesiasticam, respectivè obligantem. Similiter Regnum, Provincia, vel Civitas Sæcularis consuetudinem Civilem inducunt. Nec unius Civitatis, vel Diocesis consuetudo obligat aliam Civitatem, vel Diocesim. Quando vero in aliqua Civitate dubitatur, quid in aliquo casu sit faciendum, recurritur ad consuetudinem Curie illius Regni, *L. 32. ff. de Legib. vel ad consuetudinem proximioris Civitatis, C. 6. b. t. & ibid. Gonz. C. 3. de Cognat. Spirit.* Communitas imperfecta, qualis est familia, cum careat potestate Legislativa, nec consuetudinem obligatoriam potest inducere; *arg. L. 32. l. 35. ff. de Legib. multoque minus persona privata, etiam si Princeps sit, vel Legislator: quia tunc non datur tacitus Populi consensus, Suar. de Leg. lib. 7. cap. 3. n. 8.*

117 Actus ad inducendam consuetudinem debent fieri, vel à toto Populo, vel saltem à majori illius parte, *L. 5. tit. 2. p. 1.* nec enim satis est ad inducendam consuetudinem, quod aliqui de Populo consentiant, *C. 8. D. 8.* Nam major pars indicat Populi consensum, *L. 19. ff. ad Municip. C. 1. de His, quæ sunt à major. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 9. n. 12.* nec potest consuetudo propter aliquorum ignorantiam impediri. *Greg. Lop. in l. 5. tit. 2. p. 1.* debentque tales actus esse publici, & notorii, uniformiter exerciti: Nam ex deformitate actuum non potest percipi, in quid Populus consentiat: liberè, non per metum, vel per ignorantiam, sed cum noticia Legis contraria exerceri debent: nec aliter consensus Populi haberi, nec innovare potest, ut det consuetudini vim Legis, *L. 2. l. 3. l. 5. tit. 2. p. 1.* Nam qui errat, cogitur, vel ignorat, non consentit, *L. 15. ff. de Jurisdic. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 10. 11. & 12. Gonz. in c. 1. b. t. n. 11.* Etiam debent fieri animo inducendi obligationem, si præter Legem: vel abrogandi Legem, si contra Legem fiant: hoc est, quod eo animo fiant, ut credat Populus, se jus habere, & in posterum illud intendat facere. Si non animo inducendi obligationem, sed ex quadam devotione frequententur actus, non erit consuetudo

Lex obligans, ut patet ex usu immemoriali asperionis aquæ lustralis ad ingressum Ecclesiæ, sumendi cineres in Quadragesima initio, accipiendi ramos in Dominica Palmarum, salutationis Angelicæ ad pulsum campanæ, & alia hujusmodi: ad quæ nulla est obligatio, quia actus agentium non operantur, ultra agentium intentionem; *L. 19. ff. de Rebus credit. Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 18. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 14. n. 6.* Quando consuetudo sit obligatoria, vel non, relinquuntur decidendum Judicis arbitrio; *arg. c. 4. §. 1. de Offic. delegat.* qui esse obligatoriam colligit ex eo, quod consuetudo sit rei gravis, & difficilis, & servata uniformiter à Populo, quod Prælati puniant transgressores: si Republicæ multum conferat; si viri prudentes, & timorati male sentiant de violatoribus; & populus ex transgressione scandalicetur: in dubio autem non est presumenda obligatio; *L. 99. ff. de Verbor. oblig. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 15. n. 13.* non tamen requiritur necessario, quod sit introducta per actus judiciales, nec quod sit approbata in iudicio contradictorio: quamvis si hoc fiat, facilius, & firmius probabitur: Et sic sunt intelligendæ, *L. 34. ff. de Legib. l. 5. tit. 2. p. 1.* quia hæ qualitates non assignantur in *C. fi. b. t. L. 32. ff. de Legib. l. 1. l. 2. l. 3. l. 4. tit. 2. p. 1. Sic Greg. Lop. in dist. l. 5. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 11.* contra Burg. de Paz, & alios.

118 Ut consuetudo habeat vim Legis, tria requiruntur. 1. quod sit rationabilis. 2. quod tempore à Lege definito præscribatur. 3. quod consensus Principis concurret. Consuetudo ergo debet esse rationabilis, vel positivè, vel saltem negativè; *C. fin. b. t. c. 2. eod. in 6. L. 2. C. Quæ sit long. consuet. ibi: Verum non usque adeo sui vultura momento, ut a rationem vincat, aut Legem.* Intellige Naturalem; ex *D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 1. ibi: Nulla consuetudo vim Legis obtinere potest contra Legem Divinam, vel Legem naturalem.* Si rationabilis non sit, non consuetudo, sed corruptela dicitur: quæ proinde statim debet radicitus evelli. *C. 3. D. 8.* nec tempore immemoriali præscribitur, *C. fin. b. t.* Nec potest introduci consuetudo contra Jus Naturale, v. g. si esset contra pietatem parentibus debitam scilicet, ut alimenta ipsis negarentur. Si tamen esset contra jus Gentium, licet vix possit concipi, quomodo non sit irrationabilis, si utilis sit, valida erit,

*Greg. Lop. in l. 5. tit. 2. p. 1.* Nec contra Jus Divinum potest induci, v. gr. si sit in contemptum religionis, vel cederet in diminutionem cultus Divini. Nec valet ea, quæ gravem infert Ecclesiæ, *C. 1. b. t.* nec valet consuetudo de eo, quod dicitur Populi, in causis Ecclesiasticis, pro sententia habeatur; *C. 3. b. t.* nec consuetudo cedens in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ, v. gr. quod ejus censura imponere violentur, vel non serventur; etiam in loco exempto, *C. 5. b. t.* vel quod ejus immunitas contemnatur, vel dissipentur ejus bona: vel quod simplex Sacerdos conferat Sacramentum Confirmationis, *C. 4. b. t.* vel quod Abbas exemptus sine licentia Pontificis possit in aliam Abbatiam transferri; *C. 7. b. t.* Nec valet consuetudo, quæ Capitulum, sive Collegium Canonicorum velit, posse consuetudines antiquas, & approbatas Ecclesiæ absque consensu ordinarij immutare; cum plerumque novitates discordiam pariant, *C. 9. b. t.* Nec quæ inducit libertatem peccandi, concedendo impunitionem delictis, *C. 10. b. t.* Nec quod quis sine dispensatione Pontificis possit habere duos perfonatus, dignitates, vel præbendas, *C. 1. b. t. in 6.* Nec quod ab Officiali Episcopi ad Episcopum appelletur, *C. 2. b. t. in 6.* Uno verbo: omnis consuetudo, quæ bono communi, bonis moribus, vel Ecclesiæ est contraria, reprobatur: & præcipue illa; quæ ut corruptela excluditur à Lege: ut in *C. 7. c. fin. b. t. & alibi.*

119 E contra vero erit rationabilis consuetudo, quæ nullo modo ex dictis irrationabilis sit: quod si adhuc dubitetur, standum est iudicio viri prudentis, Judicis, scilicet, in foro externo, confessorij in foro interno, & Doctoris in Consilio ferendo, *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 6. n. 15.* Quando verò reprobatur consuetudo, quæ Sacris Canonibus est contraria intelligitur de ea, quæ vel irrationabilis est, vel non legitime præscripta, *C. 3. c. 7. b. t.* Nam si solum dispositioni positivæ Sacrorum Canonum sit contraria; non debet reprobari: cum ipsa consuetudo possit jus Canonicum, & Legem Ecclesiasticam abrogare, & tollere, *C. fin. b. t.* etiam quoad sacramentalia; & caeremonias sacramentales, non substantiales, nec à Christo D. præscriptas, cum solum sint juris Ecclesiastici, *C. 80. de Consecr. D. 4.* Nam talis consuetudo, vel positivè cedit in bonum commune, vel saltem negativè, quatenus ejus observantia conducit ad extermina-

tionem litium, & pacem Reipublicæ, *L. 2. l. 3. l. 5. tit. 2. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* Nec ex eo præcise, quod consuetudo sit contra Legem (quæ debet esse rationabilis *C. 2. D. 4.*) irrationabilis erit: quia bene potest rationabilis esse, etiam contra priorem Legem, sicut Lex posterior potest esse rationabilis contra Legem anteriorem, ut constat ex ratione, *Text. in c. 8. de Consanguin.* ibi: *Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum, statuta quancumque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit.*

120. Consuetudo, utpotè vim Legis habens potest abrogare Legem, quoad pœnam, scilicet ordinariam, à Lege stabilitam, manente obligatione, quoad culpam: sicut potest induci, ut obligans quoad pœnam, & non quoad culpam, *Suar. de Leg. lib. 7. cap. 19. n. 3.* Et patet ex *Extr. Ambitiosa de Rebus Ecclæs. non alien. int. com.* ubi variæ apponuntur pœnæ, quæ usu non sunt admittæ, manente Legis obligatione, & dispositione. Etiam potest consuetudo abrogare Legem irritantem, & formam actui præscribentem, potestque impedimenta irritantia inducere, & inducta jure humano tollere, *C. 3. de Cognat. spirit.* sicut per Legem id ipsum fieri potest, *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 16. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 4. n. 14.* contra *Abbat. Hostiens. Sylv. & alios.* Nec obstant *Text. in c. 5. de Consang.* ibi: *Ne autem inter gradus prohibitos matrimonium contrahatur, debet publicè inibere, & præsumptores Ecclesiastica disciplina punire, non obstante consuetudine, quæ dicenda est potius corruptela,* quod de consuetudine nondum legitime præscripta intelligendum est, vel dicendum est, quod ibi reprobandur consuetudo antiqua; sed non tollit, quod ex nova causa possit consuetudo induci, quæ pro alijs circumstantijs, rationabilis sit. Consuetudinem irritantem matrimonia debere esse Laicorum simul, & Clericorum tenet *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 4. n. 11.* negant alij cum *Casproal. tr. 3. D. 3. p. 4. §. 4.* quia etiam introducta sit à solis Laicis: vim habet ex consensu Pontificis. Sic consuetudo de jejunio inducta à Laicis etiam Clericos obligat ex consensu Episcoporum, *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 16. num. 13.*

121. Secundum requisitum est, quod consuetudo sit legitime præscripta: & quidem ad abrogandas Leges Civiles, de-cennium sufficit; ut ex *L. 32. ff. de Legib.*

*L. fin. C. Quæ sit long. consuet. deductum. com. DD.* Et idem tempus sufficit ad inducendam consuetudinem Ecclesiasticam, quæ sit præter jus; *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 15. n. 2.* Si vero consuetudo sit contra Legem Ecclesiasticam necessarij sunt quadraginta anni ad ejus præscriptionem, *arg. C. 4. c. 6. e. 8. de Præscript. Suar. de Leg. lib. 7. cap. 18. n. 12. Gregor. Lop. in L. 5. tit. 2. p. 1. cum alijs pluribus contra aliquos.* Sed cum hoc tempore simul debet titulus adesse ad præscriptionem, quod si titulus desit, tempus immemoriale requiritur, *C. 1. de Præscript. in 6. Numerus actuum ad inducendam consuetudinem, cum non sit à jure assignatus, arbitrio Judicis relinquitur; arg. C. 4. §. 1. de Offic. deleg.* Sed cum consuetudo dicat frequentiam actuum, & quod semel, aut bis fit, non dicatur fieri frequenter, sed solum id quod assiduo fit, *L. 15. §. 22. ff. de Injuris.* inde est, quod actus ad consuetudinem inducendam debent esse aliquoties repetiti. Idem tempus, quod sufficit ad præscriptionem, præsentè Legislatore, sufficit, & eo absente. Si verò Princeps puniat Legis transgressorem, vel Populus vel major pars ageret, licet unico actu, contra consuetudinem, hæc interromperetur, nec vim Legis posset inducere, *Suar. de Legib. l. 7. cap. 8. n. 15.* Potest ali-quando consuetudo non præscripta Legem abrogare, *D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3.* nec tunc requiritur aliquod tempus determinatum; & ideo arbitrio viri prudentis relinquitur, quando credatur, Principem, qui talis consuetudinis debet esse conscius consensisse: quia vis, quam talis consuetudo habet, à Principis voluntate provenit; nec est contra ipsum, nec minuit ejus libertatem ad consuetudinem abrogandam, & antiquam Legem restituendam, cum bono publico id iudicet expedire, & hæc consuetudo per consensum Principis per modum conniventis inducitur: quia Princeps, quasi conniventibus oculis consentit, *Suar. de Leg. lib. 7. cap. 18. ex n. 17.* Et sic potest intelligi, *L. 3. l. 5. tit. 2. p. 1.* Ubi ad consuetudinem requiritur consensus personalis Principis. Consuetudo universalis per aliam consuetudinem universalem contrariam legitime præscriptam abrogatur, nam sicut Lex per aliam Legem tollitur, sic consuetudo, quæ vim Legis habet, per aliam consuetudinem abrogari potest. Consuetudo particularis solum abrogat pro eo loco, in quo est introducta. Etiam consuetudo abrogat per

Legem posteriorem ipsi directè contrariam, ita tamen ut Lex universalis consuetudinem universalem tollat, non verò consuetudinem particularem, *C. 1. b. t. in 6. l. 6. tit. 2. p. 1.*

122. Tertium requisitum ad consuetudinem inducendam est consensus Principis, *L. 3. l. 5. tit. 2. p. 1.* non tamen requiritur consensus personalis Principis, vel Secularis, vel Ecclesiastici, adeò ut ipso nihil de novo sciente, de tali consuetudine, hæc possit induci: aliàs raro, vel nunquam posset consuetudo induci. Nam si ipse consentiret in ipsam, tunc ab ipso consensu Principis haberet univè vim, & potius, quam consuetudo, Lex dicenda esset, sufficit enim consensus Legalis, quem Princeps generalitèr explicat in jure, quo consuetudini legitime præscriptæ dat vim ad inducendam, vel abrogandam Legem, *in c. fin. b. t. L. 32. ff. de Legib. l. 6. tit. 2. p. 1. Suar. de Leg. lib. 7. cap. 13. n. 7. Gonz. in c. 1. b. t. n. 12. & alij com.* Si verò Princeps videat, suam Legem violari, & taceat, censetur, eam per modum conniventis revocare, *D. Th. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 3.* dummodo moralitèr constet, tolerantiam non esse tantum permissivam, ita, ut quasi coactus taceat: nam ut dicitur in *C. 18. de Præbend. Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente justitia, non debeant tolerari:* debet ergo illa conniventia esse operativa, & approbativa: quod attentis rationabilitate consuetudinis, & alijs circumstantijs constabit, *Suar. de Leg. lib. 7. cap. 13. n. 12.*

123. Si in Lege ponatur hæc clausula: *Non obstante quacumque consuetudine.* Si ad consuetudinem anteriorem referatur, ut in *C. um. de Cleric. non resid. in 6.* solum de anteriori intelligitur: non tamen prohibetur consuetudo in futurum. Nam solum excluditur consuetudo, quæ Legi, quæ nunc sit resistit: & sanè certum est, quod consuetudo futura nunc resistit Legi, *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 7.* Hæc clausula regularitèr non tollit consuetudinem immemorabilem, nisi irrationabilis, vel iniqua sit, vel de ea fiat expressa mentio, ut in *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 6. Suar. de Leg. lib. 7. cap. fin. Barbos. in Clausul. claus. 87. n. 8. cum alijs,* quavis alij dissentiant. Quando vero hæc clausula generalitèr loquitur, cum Lex ex sua natura in futurum ordinetur, *C. 2. de Constit. l. 7. C. de Legib.* etiam ad futuram consuetudinem extenditur: quæ quidem ut expressè, & positivè desinita Legisla-

toris consensu, contra Legem nequit prævalere, *Barb. de Clausul. claus. 87. n. fin.* Sic in *l. 5. tit. 2. p. 1.* dicitur: *La costumbre, que el Pueblo quiere poner, è usar della, ha de ser con aderechò raxon, è non contra la Ley de Dios, ni contra Señorio, ni contra Derecho Natural, ni contra pro Comunal.* Et *Greg. Lop. ibid. v. Contra Señorio.* Ait: non valet consuetudo contra majoriam Regis, & Regni, seu contra supremam jurisdictionem. Sic nec Regius Patronatus Indiarum, nec ejus usus potest præscribi, quacumque consuetudine, cum hoc expressè prohibeatur in *L. 1. tit. 6. lib. 1. R. Ind. Villarol de Regim. Ecclæs. p. 2. q. 19. art. 1. Solorz. Frasso, & alij,* ac proinde contra Leges tali clausula munitas, nec consuetudo immemoralis prævalet, *dec. ed. in l. 3. tit. 1. lib. 2. R. Cast. n. 21.*

124. Quamquam aliqui DD. pro regula generali, deducta ex *C. 26. de Verb. sign.* tradant, consuetudine immemoralis, omnia illa posse adquiri, quæ concedi possunt, per Principis privilegium, non extenditur hæc regula ad illum casum, quo quis est incapax, aliquid possidendi independentèr à privilegio, per quod habilitatur. Hinc Laicus nunquam potest per quantumque consuetudinem adquirere jus decimandi: quia sine possessione præscripto non procedit, *C. 3. de Reg. jur. in 6.* Et licet lapsus temporis immemoralis etiam simul cum fama nullum jus tali personæ incapaci tribuat, fundat tamen præsumptionem privilegij, ut in tali juri possit continuare, donec contrarium probetur. Allegans consuetudinem, cum sit quid facti, & factum non præsumatur, nisi probetur, debet illam (si notoria non sit, nec ordinem judicarium respiciat) plene probare saltem per duos testes; *arg. C. 23. de Testib.* Nec sufficit, quod aliquis Doctor de illa in suis scriptis testetur: quia quæ facti sunt plerumque etiam prudentissimos fallunt, *L. 2. ff. de Jur. & fact. ignorant.* Demum traditiones, quæ scilicet, ipsius Christi ore ab Apostolis accepta, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus tradita ad nos usque pervenerunt, omnino tenendæ sunt. *Apost. ad Thessalon. 2. Trid. sess. 4.* Tales sunt: quod Deus solus sit Author utriusque Testamenti, quod verus sensus Scripture solum sit in Ecclesia Romana: quod Symbolum Apostolorum sit verum Dei verbum Canonicum, & legitimum: quod parvuli sunt baptizandi: quod baptizati ritè ab

Hæreticis non sunt re baptizandi: quod in baptismo tres Personæ sunt exprimentur: quod Mater Dei semper fuerit Virgo: quod aqua benedicatur, quod fons Crucis signetur, quod aqua in Calice miscetur: quod Eucharistia à jejunis sumatur: quod diebus festis à servilibus abstinetur. Et similia. Etiam traditiones Ecclesiasticæ servari debent: ut solemnitas rationis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, C. 5. D. 11. C. 6. de Celebrat. Missar.

## TIT. V.

## De Postulatione Prælatorum.

125 **P**ostulare aliquando significat, advocare in iudicio, ut in tit. de Postulando. Sed in præsentibus postulatione est eius, qui eligi non potest concors Capituli facta superiori petitorio, C. 20. c. 23. de Elect. Et tot. hoc Titulo, estque adeo affinis electioni, ut sæpe indifferenter una pro alia sumatur, ut in C. 14. D. 63. Et in C. Valentianus, 3. D. 63. ubi loquendo de postulatione D. Ambrosij dicitur: Cum autem ordinatione Divina Ambrosius nondum baptizatus electus fuisset. Verè tamen differunt in eo, quod eligitur dignus, & habilis ab omni impedimento expeditus: postulatur dignus, inhabilis tamen, ex eo, quod impedimentum habeat, C. 6. h. t.

126 Postulatio est duplex: alia *solemnis*; simplex alia. *Solemnis est*, quando dirigitur ad Superiorem, qui potest dispensare. *Simplex*, quando dirigitur ad illum, qui dispensare non potest: imò nec est necesse, quod dispense, sed tantum eius licentia, vel consensus requiritur, ut si aliquis Religiosus assumatur in Episcopum, tantum indiget licentia sui Superioris, nec est necessaria dispensatio, C. 27. c. 36. de Elect. in 6. l. 24. tit. 5. p. 1. Postulatio simplex apud Superiorem immediatum, à quo habenda est licentia debet interponi: solemnitas apud illum interponitur, qui in impedimento potest dispensare, & qui potest confirmare electionem, si esset electio: quippe admissio postulationis vim Confirmationis habet, & sic postulator idem jus habet, ac si esset electus, & confirmatus. Et si Ecclesie utilitas exigat, potest Pontifex Episcopum consecratum postulationem ad aliam Cathedralium, ad eam acceptandam cogere, C. 35. 7. q. 1. Et licet Superior

non teneatur ex rigore iustitiæ postulationem, sibi præferatam admittere, cum ab ejus gratiosa dispensatione dependeat, nec fit jus postulato adquisitum, C. 5. h. t. ex debito tamen officij tenetur eam admittere, potestque ad id à Superiore compelli, Gl. in c. 3. b. t. v. gratia, L. 24. tit. 5. p. 1.

127 Postulatio etenim cum fit via extraordinaria, & indiget dispensatione, innitur gratia Superioris, C. 5. h. t. secus electio: hæc enim iustitiæ innitur, & dat jus electo: nec potest post publicationem scrutinium revocari ab eligentibus, sed facienda est collatio. Et ad hoc posuit per Superiorem compelli, C. 58. de Elect. postulantes verò, antequam Superiori postulationem præsentaverint, illam revocare possunt; quia postulato necdum est jus adquisitum, C. 3. b. t. non verò postquam eam Superiori præsentantur, ne Superioris iudicium illudatur, aut videatur dependere ab arbitrio postulantium, C. 4. b. t. Denique postulatio est introducta in electionis subsidium, ut qui aliquo impedimento obstante non potest eligi, saltem dispensativè possit ex postulatione ad Prælatum assumi. Qui enim nullum impedimentum habet, non indiget postulari, sed debet eligi. Et licet decens sit, quod eligatur aliquis de gremio Capituli in illius Prælatum; arg. C. 4. c. 5. 18. q. 2. non tamen est impedimentum Canonicum, quod sit extraneus, C. 2. de Electione.

128 Postulare possunt aliquem in Prælatum, qui possunt eligere, ut est *com. DD. ex C. 4. b. t.* adeo, ut mandatum ad eligendum, etiam ad postulandum datum censetur, C. 30. de Elect. Et licet aliquando possit postulari, qui non potest eligi, tamen potest accedere, quod aliqui nec eligi, nec postulari valeant. Tales sunt furiosi, amentes, rudes omnino, homicida, perjury, corpore vitiosi, infames, bigami, spurij, & alij hujusmodi, C. 40. de Elect. arg. C. 10. de Renuntiat. Greg. Lup. in l. 24. tit. 5. p. 1. v. Señalador, Gonz. in C. fin. b. t. n. 7. Solum ergo postulantur, qui cum digni sint, solum ex Jure Canonico habent ad electionem passivam impedimentum, & quidem non difficultatis dispensationis. Hæc ratione Novitius postulatur in Prælatum, C. 13. de Electione. similiter postulantur illegitimi, & qui carent litteratura, atque, vel ordinibus requisitis, C. 20. c. 22. de Elect. l. 24. tit. 5. p. 1. Episcopus tantum electus eligitur, non postulatur ad aliam Ecclesiam, quia conjugium spiri-

tua-

tuale inter ipsum, & Ecclesiam non est perfectè contractum, sed tantum inchoatum. Si verò si conjugium spirituale jam ratum per confirmationem, vel consummatum per consecrationem, etiam sit Episcopus *Titularis* tantum, Populo, & Clero carens, quia suam habeat Ecclesiam in partibus in fidelium, qui *Hispanè dicitur de anillo* (forte, quia non Dioecesim, sed tantum annulum in signum matrimonij habet) si ad aliam Ecclesiam promoveatur, postulandus est, C. 1. c. 2. c. 3. c. 6. b. t. L. 24. tit. 5. p. 1. quia habet impedimentum Canonicum, scilicet, conjugium spirituale, in quo est dispensandum à R. Pontifice, nec primam Ecclesiam, quæ est ejus conjux, potest propria autoritate dimittere, C. 2. de Translat. Episc. Cardinales, non Episcopi, & alij Prælati Religionum, cum nullum propriè conjugium spirituale cum suis Ecclesijs habeant, non sunt postulandi solemniter. Sed quia Cardinales sunt specialiter Ecclesie Romanæ adstricti, & alij Prælati suis Superioribus, & Ecclesijs sunt devincti, adeo ut per eorum mortem, Ecclesia vacans dicatur, licet improprie, viduata, C. 41. de Electione. ut promoveantur, indigent Superioris licentia, ac proinde postulantur, simpliciter tamen, C. 3. b. t. c. 36. de Elect. in 6. Qui verò in aliquibus Ecclesijs, ut in compostellana, Cardinales vocantur, cum verè Cardinales non sint, non postulantur, sed eliguntur, C. 57. de Elect.

129 Bonifacius VIII. in C. unie. h. t. in 6. irritat electionem, & postulationem simul factam, v.g. *eligo postulando, postulo eligendo: eligo, & postulo.* Cum nec vera electio, nec vera postulatio resultet ex ipsis, quin sibi potius invicem adversentur. Sub hæc forma: *Eligo, & postulo, prout potest melius de jure valere*, solum, quando probabiliter, dubitatur, utrum quis sit eligendus, vel potius postulandus, valet; sed postulatus, ne in incertum vagetur, debet eligere, vel electionem, vel postulationem, & una via electa, non potest ad aliam redire. In postulatione simplici; imò & in solemnitate debet servari forma præscripta in C. 42. de Elect. ita *Imoc. Panor. & alij contra Hostiens.* quia postulatio, ut subrogata electioni, ejus naturam sapit; arg. C. 41. de Elect. Et cum ei sit accessoria ejus naturam sequitur, C. 42. de Reg. jur. in 6. cum aliis jus nihil speciale statuat pro postulatione faciendâ.

130 Ad postulationem sufficit, sit major, & sanior pars Capituli consentiat; arg. C. 1. de Fidei, qua à major, L. 19. ff. ad Tom. I.

*Municip.* nisi concurrat etiam electiones hoc est, quod una pars Capituli eligat unum nullo impedimento laborantem, & altera pars postulet Canonico impedimento laborantem: hinc enim, ut postulatio prævaleat, requiritur, ut in postulationem concurrant duæ partes Capituli: si verò electus habeat pro se plerumque tertiam partem suffragiorum, prævalet electio postulationi, & acquiritur jus electo, debetque necessario confirmari à Superiore, C. 40. de Elect. quia cum postulatio, quodammodo gratiosè à Collegio fiat, C. 3. b. t. congruum non est, tot Collegis invitis, alios benignitatem Collegij velle impartiri, illosque ad gratiam faciendam compellere, C. 6. de Constit. c. 4. 10. q. 2. ibi: *Cum ratio, & usus obtineat, neminem, cui non vult, contra utilitatem, & rationem cogi de proprio facere beneficium.* Si verò totum Capitulum in quinque compromissarios electionem compromittat, sufficit, quod quis à tribus postuletur, nam illa major pars Capitulum repræsentat, C. 30. de Electione.

131 Privatur pro ea vice jure postulandi, & eligendi (& probabilius, ipso facto, ante intentionem condemnatoriam, licet declaratoria criminis requiratur) qui non exprimitur in litteris postulationis omnia impedimenta, & defectus postulatoris; arg. C. 20. de Elect. C. 2. de Filijs Presb. in 6. qui scienter postulant indignum, C. 1. b. t. C. 40. de Elect. & illi, qui postquam semel temere, licet, non scienter, factam postulationem, & rejectam, illam repetunt, C. 2. b. t. & cum delictum tantum suos Autores tenere debeat; arg. C. 22. de Reg. jur. in 6. L. 22. C. de Venis. ad contradicentes expressè, licet, non ad tacentes, vel dissimulantes devolvitur in illo casu jus postulandi, & eligendi, C. 2. b. t.

## TIT. VI.

## De Electione, &amp; electi potestate.

132 **E**lectio, sic communiter explicatur: *Est alienus personæ idoneæ ad Prælationem, vel fraternam Societatem Canonicè facta vocatio.* Differt. 1. à postulatione: quia hæc innitur gratia, electio iustitiæ innitur, 2. à presentatione: quia hæc competit Laicis, & potest revocari, & præsentari alius. Electio verò non competit Laicis, & dat jus saltem remotum electo. Electio requirit subsequenter confirmationem, præsentatio verò institutionem, 3. à libera collatione: quia